



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua  
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§.1. Cur Deus tot aduersos, in terris, casus esse velit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)



*CASVVM fortunatorum & infortuna-  
torum alia caussa, aliâq; exempla, vicif-  
situdinem inconstantiâq; docen-  
tia humana felicitatis.*

§. I.

*Cur Deus tot aduersos, in terris, Casus  
esse velit?*

**T** omnia sùsq; deq; eunt, in Mun-  
do? nulla est constantia? vexan-  
tur boni, mali exaltantur. Pe-  
rimit innoxios, & seruat multos *Fortuna*  
*nocentes?* Quia de caussa *Pittacus Mity-*  
*lene templis scalam fecit, ad nullum alium*  
*usum, quàm ut esset dedicatum donum, adum-*  
*brans fortune repentinos ascensus atq; descensus:*  
*ascendentibus quodammodo his, quibus fortuna*  
*aspirat: descendentibus verò, qui miseris pre-*  
*muntur.* Rectè quidem *Pittacus*, si per *for-*  
*tunam* intellexit eas res, que fortuito viden-  
tur accidere, cum interea caussis occultis di-  
uinitus dentur. Nam *Dominus mortificat &*  
*uiuificat: deducit ad inferos & reducit. Domi-*  
*nus pauperem facit & ditat: humiliat & suble-*  
*uat, vel, sicut Ausonius loquitur: Fortuna*  
*nunquam sistit in eodem statu. Semper mouetur,*  
*variat, & mutat vices. Et summa in imum*  
*vertit.*

*Ælian.*  
*lib. 2. va-*  
*riar. c.*  
*29.*

*1. Reg. 2.*



vertit, ac versa erigit. Quod si Pittacus ex hac rerum humanarum varietate Deam voluit procudere, quæ *Fortuna* appellanda sit, Deum & ipse ignoravit, cuius sapientissimæ potentia opus est, in Mundo fúsque deque ire res plurimas, & tamen Mundum conservari, & in tanta inconstantia, Vniuersum tamen constare. Quòd autem vexentur boni & mali exaltentur, cæcodaemone quidem procurante, invidia est; at Numine permitte, benevolentia est, magnam inde virtutibus exercendis occasionem suppeditante. Idcirco enim, malus ille spiritus, ait Lactantius, in primordijs transgressionis non statim ad pœnam (quoad locum & alligationem in Inferno, non quo ad ignem, quo statim torqueri cæpit) detrusus à DEO est, ut hominem malitia sua exerceat ad virtutem: qua nisi agitetur, ni assidua vexatione roboretur, non potest esse perfecta. siquidem virtus, est perferendorum malorum fortis ac inuicta patientia. Ex quo fit, ut virtus nulla sit, si aduersarius desit. Huius itaq; peruersæ potestatis cum vim sentirent virtuti repugnantem, noménq; ignorarent; *Fortuna* vocabulū sibi inane finxerunt. Sapientius fuissent facturi, si Dei arcana, in talibus malis, penetrare, rerūque caducarum

Lactant.  
l. 3. di-  
uin. In-  
stit. cap.  
18.



Senec. l.  
1. epist.  
98.

carum fragilitatem agnoscere, indeque & modestiam, & patientiam, & fortitudinem, aliâque præclara opera exercere didicissent; cristâsque demississent, quas, in sublimi fortuna, nimium quantum erexerunt. *Sine alios observare volueris*, ait Seneca, (*liberius enim, inter aliena, iudicium est*) *sine te ipsum, favore seposito; & senties hoc, & confiteberis, nil, ex his optabilibus & charis, utile esse; nisi te contra levitatem casus, rerûmq; casum sequentium instruxeris: nisi illud frequenter, & sine querela, inter singula damna, dixeris: DIIS ALITER VISUM EST.* Visum est enim, non oportere esse, in hac vita, felicitatis stabilitatem.

## §. II.

*Fortuna rota, & rerum humanarum instabilitas quam utilis sit, ut sapere discamus?*

Nam, ut taceam, sicut, in pictura, differentia colorum; in Musica, vocum, varietas; in theatro, personarum multitudo gratiam habet; ita & in hoc Vniuerso venustâ esse rerum mutabilitatem; utilitas præterea maxima *Casibus* inest. Fastidiretur Mundus, si omnia vnus campus essent. Sunt igitur *montes*, in quos ascendemus; sunt *valles*, in  
quas